

tum, tenui cymba ex proximo accersita, Ripam annavit. Severinas equitibus viginti comitatus, Madernum per asperos montes se trepide recepit: octoginta ex omni captivorum numero lecti Brixiam Barbari jussu perduci. Picininus haud quidem ea clade territus, Severinate ad se accersito, ad Thenii saltus occupandos confestim ire pergit. Jam enim vel per hostes transiturus Sforcia ad montes successerat. Est Thenium alto colle situm: ad lœvam dextramque prærupti montes, quorum alter, qui dexter oppido est, castellum habet opere & natura munitum: qui e regione attollitur, sterilis omnino & magis præruptus. Hunc peditum robore hostis infedit: præter oppidum Carolus Gonzaga instructas equitum alas tenuit. Hæserat Venetus dux ad radices ejus montis, quem a pedite infessum diximus: videbatque, hostibus dextra lœvaque sedentibus, sine ingenti certamine locorum difficultates superari non posse: & quum consilii anceps secum animo agitaret, qua vi per hostes sibi viam apperire posset, ecce novam inopinato cohortem a Ripa Thenium versus tendentem procul aspicit. Ratus ille reliquum copiarum quod Vigasii erat, eo ab hoste accersitum, confestim omnem equitatutum cum Troilo in Gonzagam mittit: ipse deinde ad pedites conversus (ex quibus cohortem unam quasi prætorianam penes se habere solebat) verticem infessum illis ostendit: oratque simul, hortaturque: *Ut si eo honore, in quo apud se semper habiti essent, digni videri cuperent, si pro suis in singulos beneficjis, que multa & ampla esse non ignorarent, parem sibi gratiam quandoque relatam vellent, si denique, ut fortes fidosque decet milites, strenuam operam, aut præclarum ullum facinus aliquando coram se edere statuissent: ex illius diei pugna, & præteritæ & futuræ militiae sibi gratiam omnem & laudem quererent. Irent forti animo in hostem, quo pulso, non solum fidelissimam Veneto imperio urbem servarent, sed gradum etiam sibi facerent ad amplissimam victoriam.* Hæc ille; atque una in adversum jugum aciem explicat, ipseque imprimis brevi hasta nixus in arduum ten-